C non perperàm cenſent Auicenna & alij quidam ex recentioribus medicis, qui calidum eſſe & ſiccum in ſecundo ordine tradunt.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Vſus eius ad erugandã cutem, ad neruorũ dolores, & contra noxia medicamenta. Fertur & amuletum eſſe radix geſtata. Semen ex uino ſumptum nouem diebus, comitiales ſanat. In eundem effectum uinum diluitur herbę decocto. Scobs radicis propinatur in uino ad arcendam quartanã, quam & uomitione curat paulò ante acceſsionem pota. Plura in præſentia reſcire de huius facultatibus non licuit.

DE SVCCISA. CAP. CCLXXI.

NOMINA.

Succiſa. NVLLO nomine ueteres aut poſteriores Græci appellauerint hanc herbam, cognitamq; illam habuerint nec ne, nobis nondum conſtat. Nonnulli Geum eſſe arbitrant. Nos Succiſam nominare uoluimus, partim quod id nominis latinum eſſet, & pulchrè huic herbæ quadraret, cuius radices circunroſæ ſunt, partim quod antiquus manuſcriptus herbarius ſic uocaret. Vulgus ſuperſtitione quadam motum credit cacodęmona, tantæ efficacię radicem inuidere hominibus, atque hac ratione ubi ſuccreuerit ſtatim eam undiquaq; circunrodere. Hinc eſt quod Diaboli morſum appellitent. Quam etiam ſuperſtitionem pluſquam muliebrem ſecuti Germani, Teuffels abbiſſz/hoc eſt, præmorſam à diabolo, nominant.

Morſus diaboli.

FORMA.

D Binûm cubitorum faſtigiatur altitudine, foliſs Plantaginis minoris, aut Cirſij leuioribus, ſolidioribusq;, leniter laciniatis. Floribus purpureis, Radicib. ſubnigris, ſuccisis & circunroſis.

LOCVS.

Naſcitur locis incultis & montanis, ſaltibus, ac interdũ etiam pratis & dumetis.

TEMPVS.

In Auguſto eius magna eſt paſsim in locis iam dictis copia.

TEMPERAMENTVM.

Supra modum amara eſt, unde calidam & ſiccam eſſe ſatis conſtare cuiuis poteſt.

VIRES.

Præſentaneo remedio ad maturandos, atqueadeo ſanandos carbunculos adhibetur, ſi herba uiridis trita imponatur, aut uinum in quo decocta fuerit bibatur. Radix per ſe eſtur, aut uinum eius decocti in uuluę doloribus bibitur. Hæc manuſcriptus herbarius. Hodie, cum habeat facultatem diſcutiendi & incidendi, utuntur ea ad diſſoluendos ſanguinis grumos.

DE SCABIO-

SVCCISA